

diocesi parochia sita est, construerentur. (85. Circa hæc oratoria sive Capellas aut sacella admittenda, in primis attendere debet Episcopus, ne per hæc populus a parochiali Ecclesia nimium abstrahatur, atque hinc ulterius ex illo Ecclesiæ parochialis neglectu oriatur in populo crassa ignorantia, tam circa credenda quam agenda: prospicereque potissimum ut observetur clausula de stylo solita inseri litteris, quibus usus oratorii seu Capellæ conceditur: *Sine parochialis Ecclesiæ præjudicio.* (86. Hujusmodi Capellarum, sive oratoriorum ædificationem aut usum non facile tamen, sed magna de causa Episcopus permittere debet. (87. Dum vero necessitate, vel magna causa exigente, hæc Capellæ concedendæ videbuntur, vult S. Carolus in Conc. Mediol. I. p. II, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, ut Episcopi in his designandis vel probandis hæc servant: « Ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus domini, vel familia frequentius versentur, sed commode et honesto loco, a cubiculis, tricliniis, et ab aula separato, ad templi formam et regulam propius accedant. Nec ita angusta sint, ut qui Missam audierint ad ostium aut fenestram stare cogantur, aut denique ibi sacris interesse, ubi promiscue profanum aliquod exerceatur, quod fieri omnino prohibemus. » (88. Ulterius ne populus per has Capellas sive oratoria a frequentatione parochialis Ecclesiæ nimium distrahatur, idem Sanctus Carolus insinuat, ut « cui id permissum fuerit, is rarius utatur, ne distracti homines illa commoditate, Ecclesiam Dei minus frequentent, quod exemplo etiam noceat aliis. » (89. Hinc de stylo ordinario in concessione Capellarum excipi solent præcipue per annum festiuitates, ut nimirum non liceat tunc ibidem celebrare, idque conformiter ad vetus Decr. Synodi Agath. apud Grat. dist. 1 de Consecr., can. 55, quo decernitur: « Si quis extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festiuitatibus, ut ibi Missas audiat, propter fatigationem familiæ justa ordinatione permittimus. Pascha vero, Natali Domini, Pentecoste, et Natali Sancti Joannis Baptistæ, et si qui maximi dies in festiuitatibus habentur, non nisi in civitatibus aut in parochiis audiant. Clerici vero, si qui in festiuitatibus, quas supra diximus (nisi jubente sive permitte Episcopo) Missas celebrare voluerint, communionem priventur. » (90. Denique stylus hodiernus addit in concessionibus hujusmodi Capellarum sive oratoriorum, ut alii præterquam servitio personæ, cujus intuitu oratorium sive Capella conceditur, necessarii, ibidem audientes Missam ab obligatione eam in Ecclesia audiendi per hoc non liberentur.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(91. Benedictus XIV, anno 1753, die 22 Jan. vetus ordinis Prædicatorum privilegium confirmans atque amplificans, publica sacella et privata oratoria in ædibus, prædiis ac

fundis ad cœnobîa ejusdem ordinis pertinentibus posita, ab ordinariis locorum visitatione exemit, eaque ab ejusdem ordinis visitoribus obiri ac probari jussit his litteris.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

(92. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Bremond Magister Generalis ordinis fratrum Prædicatorum, quod inter cætera privilegia a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris eidem ordini illiusque superioribus et fratribus concessa fel. rec. Alexander PP. IV itidem prædecessor noster per suas sub plumbo V Kal. Aprilis 1261, expeditas litteras indulset, ut in locis in quibus degerent, liceret eis habere oratoria in quibus cum altari portatili possent Missarum solemniam et alia divina officia celebrare. Subinde vero rec. mem. Benedictus PP. XI, etiam prædecessor noster per alias suas sub plumbo IV Idus Martii 1304, super exemptione a jurisdictione Episcoporum itidem expeditas litteras decrevit Ecclesias, oratoria, domos et loca, quæ dictus ordo, seu illius fratres tenebant, et inhabitabant in futurum, dum et quoties illa tenere et inhabitare contigisset, exempta prorsus existere, nulloque medio Sedi Apostolica Sede pluries confirmata fuisse memoratur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus ordo quamdam possessionem sancti pastoris nuncupatam in diocesi Prænestina existentem, Magistrisque Generalibus ordinis hujusmodi assignatam habeat, ad quam tam Magistri Generales prædicti, quam eorum socii, aliique ordinis dicti fratres de illorum licentia rusticationis causa pluries infra annum accedere solent, et commorantur, ac sacrosanctum Missæ sacrificium in quadam publica Capella muro exstructa, sacrisque suppellectilibus munita pro eorum spirituali consolatione ac commoditate fratrum laicorum memorati ordinis ad illius custodiam semper existentium agrorumque cultorum et agricolarum, aliarumque personarum ad illam adventantium celebrant, et licet ipse Antonius Magister Generalis crediderit Capellam hujusmodi vigore prædictorum aliorumque privilegiorum, ut præfertur, ordini prædicto concessorum, nunquam ab Episcopis Prænestinis visitatam fuisse nec visitari debere, nihilominus transactis mensibus ad suam notitiam pervenerit laicos inibi ad dictæ possessionem custodiam commorantes, absentibus tamen Magistris Generalibus prædictis, seu aliis dicti ordinis superioribus propter ignorantiam privilegiorum prædictorum per ternas vices visitationem dictæ Capellæ ab Episcopis Prænestinis faciendam permisisse, prout ex actis Sacrarum Visitationum id constare asseritur; cupiatque propterea dictus Antoninus Magister Generalis eidem ordini in præmissis a nobis provideri: Nos, qui dictum Antoninum Magistrum Generalem paternis complectimur affectibus, ipsumque ac

dictum ordinem specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, dictumque Antoninum Magistrum Generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut deinceps in publicis Capellis, seu privatis oratoriis existentibus in domibus, possessionibus et membris, ad conventus ordinis prædicti nunc, et pro tempore spectantibus et pertinentibus, quæ ab ordinariis locorum juxta jus visitari et approbari soleant, debeantque, licet ab illis, nec visitata, nec approbata fuerint, nihilominus sacrosanctum Missæ sacrificium tam per regulares sive ejusdem, sive alterius ordinis, quam sæculares presbyteros tuto celebrari possit, Missamque inibi audientes diebus festivis præcepto Ecclesiæ hæc de re edito satisfacere intelligantur, absque tamen ullo jurium parochialium præjudicio, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus. Insuper dictas Capellas publicas et privata oratoria a quacumque ordinarii locorum auctoritate, superioritate, et dignitate fungentis visitatione, et subjectione, auctoritate, et tenore prædictis eximimus, et liberamus, ac exempta et libera esse decernimus, volumus et declaramus; ea tamen lege, ut ad ejusmodi effectum, nempe quoad visitationem per locorum ordinarios super illarum, et illorum fabrica, ornatu et suppellectili sacra faciendam, satis sit et sufficiat, et quod dicta oratoria, Capellæ et altaria visitentur, et approbentur, ac visitari, et approbari debeant a patribus visitoribus dicti ordinis, onerata super his conscientia tam dicti Antonini moderni, quam pro tempore existentis ejusdem ordinis Magistri Generalis. Decernentes easdem præsentis litteras firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione

CAPELLANIA.

SUMMARIUM.

1. Capellanæ sunt in triplici differentia, scilicet Capellanæ mercenariæ collatiivæ, et gentilitiæ. — 2. Capellanæ mercenariæ, quæ sint? Et quare mercenariæ dicantur. — 3. Tales Capellanæ dicuntur

FERRAR. II.

apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresso derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 22 Januarii 1775. pontificatus nostri anno decimo quinto

Pro D. Cardinali Passioneo, Joannes Florius Substitutus.

ADDITIONES CASINENSES.

(93. Capella est locus coopertus ad divina celebrandum, et differt a sacello in eo, quod sacellum erat olim locus diis sacratus sine tecto ad sacrificandum, quo hodie non licet celebrare, nisi in casu necessitatis. Ildeph. Perez de Anniversariis et Capellanis, lib. II, cap. 1.

(94. Pœnitentiæ Sacramentum in privatis Capellis administrari non potest; nam in rituali præscribitur: « In Ecclesia, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco præstare. »

(95. Generales et provinciales regularium gaudent facultate erigendi in suis conventibus et collegiis privata oratoria ad divinum cultum deputata absque Episcopi, aut etiam Pontificis licentia, et in ipsis unam, ac plures Missas celebrare faciendi eodem die, sive a regularibus, sive a sæcularibus sacerdotibus celebrentur, ratione privilegii localis, cujus omnes sacerdotes frui possunt; ita P. Rossignol. de Eucharist., quæst. 8, art. 14, n. 1 et alii. Privilegia enim regularium quoad oratoria privata non revocata fuerunt in Concilio Trident. In supradictis regularium privatis oratoriis seu Capellis omnes fideles Missam audientes diebus festivis, etiam iis, quibus prohibetur celebratio Missarum in oratoriis privatis, satisfaciunt præcepto, eo quod gaudeant hæc oratoria privilegiis, ac si essent publica, utpote dumtaxat ad divinum cultum deputata per se et non tantum per accidens, hoc est permanentem, et non solum transeuntem, quod contingit, quando utitur altari portatili, etc., et privilegium locale sit, et non solum personale; unde illo frui possunt omnes Christi fideles. Tamburin. de Sacrif. Missæ, lib. I, cap. 4, § 3, n. 6, ut citat Cavalieri Op. liturg. tom. V, p. 5.

etiam manuales, et ad nutum revocabiles. — 4. Capellanæ collatiivæ quæ sint. — 5. Quare dicantur collatiivæ. — 6. Capellanæ gentilitiæ, seu jurispatronatus, quæ sint. — 7. Episcopus nequit ullimode excludi a collatione, seu institutione talis Capellanæ



gentilitiæ, seu jurispatronatus, etiamsi fundator in eius fundatione asseruerit, quod Episcopus nequeat se ingerere, et si se ingesserit, institutio capellani nullius sit roboris. — 8. Licet enim testator, seu fundator possit in limine fundationis adjicere quas-cumque leges et condiciones sibi benevisas, etiam juri communi contrarias, requiritur tamen, quod tales leges, et condiciones non sint contra naturam Capellanæ, et jurispatronatus, et quod sint ab Episcopo concordatæ et admittæ. — 9. Unde cum talis conditio a testatore, seu fundatore posita, esset contra naturam veræ Capellanæ, ex qua requiritur, quod vera Capellania conferatur a solis Ecclesiæ Prælati, eorumque Officialibus; ideo habenda: *Ut pro non adjecta.* — 10. Ad titulum Capellanæ mercenariæ, et amovibilis, nemo potest ordinari. — 11. Si tamen talis Capellania mercenaria, et amovibilis consentiente patrono, et Episcopo conferatur alicui in titulum vitalitium, poterit ipse ad sacros ordines promoveri, seu ordinari. — 12. Obtinens autem Capellaniam in Capella Papæ, licet sit ad nutum amovibilis, potest ad illius titulum ordinari. — 13. Capellania erecta in una Ecclesia non potest sine necessitate transferri de jure communi ad aliam Ecclesiam; etiamsi sit Capellania de jurepatronatus. — 14. Missarum enim onera relicta in determinata Ecclesia seu Capella, non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicæ licentia. — 15. Imo neque Nuntius Apostolicus potest concedere indulgentiam, quod Missæ celebrandæ in loco a testatore designato alibi celebrantur. — 16. Alias translatio esset nulla, quamvis fieret auctoritate executorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non habent. — 17. Videtur tamen esse a Sancta Sede indulgentum, ut Capellania jurispatronatus possit transferri de loco ad locum, ut de facto fuit indulgentum, ut Capellania transferretur de castro ad aliud castrum de jurisdictione ejusdem familiæ; *ad n. 18.* — 19. Capellaniam obtinens, non tenetur sacros ordines suscipere, sed Missarum oneri potest per alium satisfacere, nisi in fundatione cautum sit, ut per seipsum celebret. — 20. Capellania, in cujus erectione fundator sic disposuit: *Instituatur capellanus, qui Missas celebret:* non est sacerdotalis, et conferri potest clerico quatuordecim annorum. — 21. Capellania, in cujus erectione fundator sic disposuit: *Eligatur capellanus, vel sacerdos,* non est sacerdotalis, et potest etiam conferri simplici clerico annorum quatuordecim. — 22. Capellania hac conditione erecta: *Ut eligi debeat unus præbendarius, qui singulo quoque die teneatur Missam celebrare et divinis officiis interesse,* non est sacerdotalis, et capellanus potest per alium Missas celebrari facere. — 23. Capellania hac lege fundata: *Ut capellanus per seipsum Missas celebrare teneatur,* conferri potest simplici clerico, in ea tamen ætate, ut infra annum possit in Sacerdotem ordinari, nisi alia essent verba in fundatione posita, quæ requirerent obtinentem tempore collationis esse actu Presbyterum. — 24. Capellania, in cujus erectione habentur similia verba: *Legavit dictæ Ecclesiæ collegiatæ duplas octoginta pro constituenda et erigenda una præbenda sacerdotali in dicta Ecclesia, cum onere, ut præbendarius nominandus, et eligendus ad dictam præbendam teneatur singula hebdomada celebrare Missas duas in dicta Ecclesia, non requirit præsentandum esse actu sacerdotem, sed sufficit, quod sit talis ætatis, ut infra annum promoveri possit ad Sacerdotium.* — 25. Capellania, in cujus fundatione habentur consimilia verba: *Quilibet sacerdos, qui pro tempore fuerit, continuam residentiam personalem in dicta Ecclesia facere teneatur, et singulis diebus, quibus facultas, et commoditas sibi aderit, in dicta Ecclesia teneatur missam devotione debita celebrare,* non requirit, quod præsentandus sit actu sacerdos, sed sufficit, quod intra annum possit ad Sacerdotium promoveri. — 26. Sic etiam Capellania erecta hac lege: *Usufructuarii teneantur manutenere*

*capellanum unum, seu presbyterum, qui omni die celebret, et celebrare debeat Missam unam in Ecclesia per ipsum testatorem fundata, etc. et post eorum obitum per N. et N. quos eligit in patronos dictæ Ecclesiæ, manuteneri debeant duo capellani, qui omni die residentiam faciant in dicta Ecclesia, et qui celebrent, et celebrare debeant Missam in eadem, est quidem Capellania sacerdotalis, sed satis est, ut ad eam præsentetur clericus in ea ætate constitutus, ut infra annum possit ad Sacerdotium promoveri.* — 27. Capellanæ in cathedrali, quorum capellani a capitulo electi tenentur Missas Conventuales canere, et divinis interesse, sunt sacerdotes aptitudinis. — 28. Capellania in cathedrali Ecclesia sic fundata: *Ut capellanus debeat celebrare diu, noctuque divinum officium,* non requirit ut capellanus debeat esse presbyter. — 29. Capellania, in cujus erectione sic statuatur: *Eligatur sacerdos, qui celebret,* non requirit, ut præsentandus sit actu sacerdos, sed sufficit, ut infra annum possit ad Sacerdotium promoveri. — 30. Capellania, in cujus fundatione sic disponitur: *Eligatur capellanus qui actu sit sacerdos, vel non conferatur nisi presbytero,* requirit necessario, quod præsentandus sit actualiter sacerdos. — 31. Ad dignoscendum autem, an ad capellaniam sit præsentandus capellanus, qui sit actu sacerdos, vel solum aptitudine, sequenda est theoria Sacræ Rotæ Romanæ. — 32. Et theoria est ut sequitur: Aut verba fundationis, seu institutionis beneficii respiciunt ex necessitate ipsum actum præsentationis, institutionis, vel collationis; aut non respiciunt actum, sed potius illius prosecutionem. — 33. In primo casu requiritur Sacerdotium in ipso actu, ut v. g. si fundator dixerit: *Volo ut præsentetur, vel instituatur, aut eligatur sacerdos: vel ut Capellania conferatur sacerdoti, seu constituto in ordine sacerdotali.* — 34. Et idem est, si fundator Capellaniam dixerit: *Volo ut præsentetur presbyter, vel capellanus, qui Missam celebret.* — 35. Nec requiritur adjectio illius dictionis actu, seu actualitate, id est præsentetur, seu instituatur actu presbyter, vel qui actualiter sit constitutus in ordine presbyterali; sed satis est, ut testator in fundatione disposuerit, ut præsentetur seu instituatur sacerdos, qui Missam celebret. — 36. Imo Barbosa vult, quod ad Capellaniam his verbis institutam: *Ut præsentetur, aut nominetur presbyter, sive sacerdos,* requiratur actu Sacerdotium, quamvis non alia adessent, quæ apponi plerumque solent, neque, qui celebret Missas, aut his similia. — 37. In secundo casu non requiritur in præsentando Sacerdotium actu, sed sufficit, ut sit in ea ætate, ut infra annum possit ad Sacerdotium promoveri, ut v. g. si in fundatione consimilis dispositio habeatur: *Capellanus debeat esse presbyter, vel: Præsentetur clericus, qui per seipsum teneatur Capellaniam in divinis inseruire, et Missas celebrare;* vel: *Præsentetur qui celebrare teneatur, et hujusmodi; ad num. 38.* — 39. Licet enim in his casibus, aliqui senserint requiri Sacerdotium actu, veritas tamen est in oppositum. — 40. Et sic in his, et similibus terminis, sapius respondit Sacra Congregatio Concilii, et signanter in Tiburtina, in qua testator mandabat, quod in Capella erecta per eum Missæ celebrari deberent ab uno sacerdote de familia, eoque non existente celebrari deberent a sacerdote deputando. Item in Justinopolitana in qua erecta erat Capellania cum hac lege: *quod Missa quotidiana in puncto meridiei, constituto sacerdote, aut Canonico bonæ vitæ celebrari committatur.* Item in Tusculana, in qua testator mandaverat erigi in cathedrali beneficium cum onere inseruiendi choro, et celebrandi unum Missam de Requiem pro qualibet hebdomada. — 41. Et sic pluries declaraverat pro variis capellanis erectis in consimilibus terminis, ut potest videri supra n. 22, 23, 24, 25, 26, 27, semper interpretando, et statuendo, quod similes Capellanæ sint quidem sacerdotes habitu; sed tamen satis est, ut ad eas præsententur, seu instituuntur

clerici in ea ætate, ut infra annum possint ad Sacerdotium promoveri. — 42. Regulare enim est in beneficiis sacerdotalibus sufficere solam habitatem ad Sacerdotium. — 43. Capellania fundata cum onere interessendi divinis officiis in cathedrali, vel collegiata, requirit personale servitium, quod non potest adimpleri per substitutum. — 44. Si vero Capellania fundata sit in Ecclesia non cathedrali, vel collegiata, sed in alia Ecclesia non habente servitium chori, hoc casu quamvis in fundatione Capellæ cautum sit, ut capellanus debeat Missas celebrare, et divinis inseruire, seu interesse, tamen non tenebitur ordinem sacerdotaletm suscipere, nec Missas, aut divina officia celebrare per seipsum, sed satis erit, ut hæc munia per alium adimpleat. — 45. Capellanæ cathedralis Ecclesiæ, quarum redditus in distributionibus quotidianis consistunt, personalem residentiam requirunt. — 46. Capellania sic instituta: *Ut capellanus quotidie Missam celebret, et si negligens fuerit, certam pœnam incurrat,* non requirit personalem residentiam. — 47. Item personalem residentiam non requirit Capellania, in cujus erectione dispositum est: *Ut domus ædificetur Capellano, in qua habitet, et divinis inseruiat, et nisi habitet et inseruiat, possit amoveri et de alio provideri.* — 48. Capellanæ, quibus incumbit onus celebrandi Missas, et choro inseruiendi, non sunt compatibles cum canonicatibus, et

(1. Capellanæ sunt in triplici differentia, scilicet Capellanæ mercenariæ, Capellanæ collativæ, et Capellanæ gentilitiæ, seu jurispatronatus. (2. Capellanæ mercenariæ sunt illæ, quæ ita instituuntur, ut non conferantur sacerdoti in titulum, sed eligatur ad implendum munus impositum a testatore, ita tamen, ut possit ad nutum hæredis removeri. Ut cum v. g. testator relinquit laico bona temporalia cum onere faciendi celebrari in tali altari certas Missas a sacerdote sibi bene viso; et hac ratione Capellania dicitur mercenaria, cum Missæ celebrantur recepta mercede sine titulo, et tunc bona relicta pro hoc onere remanent in sua temporalitate. Nec Episcopus potest in his se intromittere. Licet enim talia bona sint affecta onere Missarum, possidentur tamen a laico, et sub ejus sunt regimine et dispositione, ut notavit Gamma dec. 288, num. 4, in princip. arg. text. in l. fin. c. de Bon. vacant., lib. x. (3. Et tales Capellanæ dicuntur etiam manuales, et ad nutum revocabiles, quia in alterius manu, et dispositione stat illa relinquere, vel auferre, et istæ rigore loquendo non sunt proprie beneficia ecclesiastica, cum de natura beneficii ecclesiastici proprie dicti sit, ut institutum perpetuo duret, cap. Sanctorum 2, dist. 70.

(4. Capellanæ collativæ sunt illæ, quæ ita sunt institutæ, ut conferantur in titulum, ut cum v. g. testator relinquit bona temporalia, ut ex eorum redditibus celebrari debeat in tali altari Missa quotidiana, vel certus Missarum numerus singulis annis, quam Capellaniam debet hæres cum Episcopi auctoritate erigere, et fundare, quia nullus privatus sine ordinarii auctoritate potest locum sacrum, vel rem spiritualetm constituere; arg. c. Ad hoc 4, de Religios. Domib. Si enim Episcopi auctoritas, et assensus in erectione deficeret, non dicerentur beneficia ecclesiastica proprie dicta; arg. cap. Nemo 9, dist. 1, de Consecrat. Rota part. 2, recent. dec. 371,

parochialibus, quamvis per earum constitutiones liceat servire per substitutum. — 49. Capellania sic fundata: *Ut eligatur idoneus capellanus sacerdos, qui Missam celebret,* est sacerdotalis; sed capellanus non tenetur inseruire per seipsum et potest celebrare per alium. — 50. Capellania non potest conferri filiis illegitimis presbyterorum in Ecclesiis, in quibus eorum patres fuerunt beneficiati. — 51. Nisi constet de erectione Capellanæ auctoritate ordinarii vel vere, vel saltem præsumptive, Capellania non ecclesiastica, sed laicalis dicenda est. — 52. Executor testamentarius an, et quando in erectione Capellanæ auctoritatem ordinarii adhiberi possit. — 53-55. Defunctus quando alienus ab ecclesiastica qualitate Capellanæ dici queat, et quando non. — 56. Capellania quando dicitur sacerdotalis. — 57. Et quando non. — 58, 59. Explicatur auctor num. 41 et 43. — 60. Capellaniarum origo. — 61, 62. Capellania in quibus conveniat cum beneficio. — 63, 64. Et in quibus differat. — 65. Quidam commune habeat cum anniversariis et piis relictis. — 66. In quo ab iis distet. — 67. Unde Capellania extinguitur, ubi fundi perierint. — 68. Fundi Capellanæ assignati sine solemnitate alienari non possunt. — 69. Bona Capellanæ una cum obligationibus coherentibus semper manent apud capellanum.

num. 3. (5. Dicuntur autem collativæ, quia ad Episcopum pertinet eas conferre, et quamvis nominatio ad easdem Capellanias possit esse a laico, non potest testator apponere conditionem, quod Episcopus se non intromittat ad conferendum, supposito, quod sint institutæ cum recensitis conditionibus per text. cap. Si quidem 2, caus. 10, q. 1.

(6. Capellanæ gentilitiæ, seu jurispatronatus sunt ejusdem rationis cum collativis, hoc solum adjecto, ut ad hæredes, seu electos, seu vocatos a testatore pro tali jurepatronatus, pertineat jus nominandi ad hujusmodi Capellanias, servatis quæ in hoc genere quoad nominationem servanda sunt. Licet enim nominatio fiat a patrono, institutio tamen, seu collatio ad Episcopum pertinet. Rota dec. 10, de Testam. in antiquis, num. 1, cap. Ex frequentibus, 3, de Institutionibus, et cap. Nullus Laicorum. (7. Nec Episcopus potest ullimode excludi a collatione, seu institutione talis Capellanæ gentilitiæ, seu jurispatronatus, etiamsi fundator in ejus fundatione asseruerit, quod Episcopus nequeat se ingerere, et si se ingesserit, institutio capellani nullius sit roboris; talis enim Capellania, hoc non obstante, subsistit, nam quod de jure non tenet, vinculo pœnæ nequit constringi; per textum in l. Non dubium in fin., c. De legibus, et l. Quod de Bonis, § 1, ff. ad l. falcid. (8. Licet enim testator, seu fundator possit in limine fundationis adjicere quas-cumque leges, et condiciones sibi benevisas, etiam juri communi contrarias, requiritur tamen, quod tales leges, et condiciones non sint contra naturam Capellanæ, et jurispatronatus, et quod sint ab Episcopo concordatæ et admittæ; cap. Significatum, 11 de Præbend., cap. Præterea, 23 de Jurepatron. et cap. Quando, 16 de Censib., et est communis DD. cum Rota dec. 1 de Præbend. in novis, et dec. 2 de Testament. in antiquo. (9. Unde cum talis conditio a testatore, seu fundatore posita, esset



contra naturam veræ Capellanæ, ex quo requiritur, quod vera Capellania conferatur a solis Ecclesiæ prælati, eorumque officialibus; cap. *Ex frequentibus* 3, de Institutionibus, c. *Si quis deinceps*, 12, cap. *Si quis Clericus* 16, cap. *Constitutiones* 17, cap. *Nullus Laicorum* 18, cap. *per Laicos* 20, caus. 16, q. 7, ideo habenda esset pro non adjecta. Abbas in cap. *Nobis*, num. 5, de Jurepatronatus; Innocentius in c. *In Lateranensi*, n. 5, de Præbend. Lambertinus de Jurepatronat., lib. 1, prim. part. q. 9, principal. num. 68. Sarminensis lib. 1, select. cap. 11, n. 10.

(10. Ad titulum Capellanæ mercenariæ et amovibilis nemo potest ordinari, quia capellanus mercenarius, et amovibilis titulum habere non censetur; arg. cap. *Constitutus*, 8, de Filiis presbyterorum, et Abbas ibi num. 5. Nec habet certos redditus, quibus sustentari valeat, ne emendicare, aut turpem artem exercere teneatur in magnum dedecus ordinis ecclesiastici, potest enim ad nutum hæredis vel erogarii removeri. Ita tenent Majol. de Irregularitate, lib. 1, cap. 14, n. 4. Campanil. in divers. Juris Canonici rubr. 8, cap. 4, num. 8, in fin. Garcias part. 1, de Benefic., cap. 2, num. 83, et plures alii cum Barbosa de Offic. et potest. Episcop. part. 1, allegat. 19, num. 15, et lib. 3 Juris Ecclesiast. univers., cap. 5, num. 19. (11. Si tamen talis Capellania mercenaria, et amovibilis, consentiente patrono, et Episcopo, conferatur alicui in titulum vitalitium, poterit ipse ad sacros ordines promoveri, seu ordinari. Et ratio est, quia ipse in tali casu haberet ea, quæ ex sacris canonibus, et pontificum constitutionibus in hac parte requiruntur, scilicet sufficientes redditus ex beneficio ecclesiastico, quibus sufficienter sustentari valeat, ne teneatur emendicare, aut sordidam artem exercere, cum, quoad usque vixerit, haberet redditus illius Capellanæ, qui sufficientes supponuntur ad congruam sustentationem. Accedit praxis circa hoc fere communis. (12. Obtinens autem Capellaniam in capella Papæ, licet sit ad nutum amovibilis, potest ad illius titulum ordinari. Navarr. cons. 20, de Temporib. ordinat. Sayr. in Floribus dec. sub eodem tit., decis. 59, Aloys. Ricc. in Praxi fori Ecclesiast. resolut. 334, in fine. Molfes. tract. 6, sum. cap. 1, num. 77. Alphons. de Leon. part. 1, q. 3, n. 57. Barbosa de Offic. et potest. Episc. alleg. 19, n. 30, et lib. 3 Juris Eccles. univers., c. 5, n. 19.

(13. Capellania erecta in una Ecclesia non potest sine necessitate transferri de Jure communi ad aliam Ecclesiam; etiamsi sit Capellania de jurepatronatus. Et ratio est, quia Capellania collativa procul dubio est affixa Ecclesiæ; est enim beneficium ecclesiasticum, quod erigi non potest nisi ad altare; cap. *Nemo* 9, dist. 1, de Consecr. et notat Lotter. de Re benefic. lib. 1, quæst. 4, num. 55. Duran. dec. 130, n. 4. Eo ipso tamen quod altare erigitur, remanet affixum Ecclesiæ, in qua erigitur. Unde Tridentinum sess. 25, de Reformat. c. 5, jubet, quod his Capellaniarum, seu beneficiorum erectioni-

bus non derogetur; ibi: « Ratio postulat, ut illis quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur; quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur. » (14. Missarum enim onera relicta in determinata Ecclesia, seu Capella, non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicæ licentia, ex Sacra Congreg. Concil. in Hispalen., 30 Septembr. 1580, et in Brixien., 1 Decembris 1684. (15. Imo neque Nuntius Apostolicus potest concedere indultum, quod Missæ celebrandæ in loco a testatore designato alibi celebrentur. Sacra Congreg. Concil. in Genuen., 18 Augusti 1703. (16. Alias translatio esset nulla, quamvis fieret auctoritate exsecutorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non haberent. Sacra Congreg. Concil. in Derthonen., 4 Julii 1701.

(17. Videtur tamen esse a S. Sede indulgendum, ut Capellania jurispatronatus possit transferri de loco ad locum, ut de facto fuit indultum, ut Capellania transferretur de castro, in quo a Domino ipsius castri fuerat erecta ad aliud castrum de jurisdictione ejusdem familiæ, ex quo primogenitus fundatoris amiserat jus castri, in quo fundata erat, et petierat a Sac. Congreg. Concilii facultatem eam transferendi ad aliud castrum, in quo jurisdictionem habebat. Et ratio indulgendi videtur rationabilis, scilicet necessitas sacrificii in nova Ecclesia, præsertim cum nullum detrimentum cultus divinus patiatur in Ecclesia, in qua fundata est Capellania, cum supponatur in dicta Ecclesia adhuc remanere alios capellanos, uti remanserant in casu expresso. Tum quia prima Ecclesia censetur electa a fundatore capellanæ cum respectu ad patronos illius castri, tanquam proprii, et possessi ab ipsis. Unde transeuntibus patronis ad aliud castrum videtur transferenda etiam Capellania, quia Ecclesia censetur electa cum sua qualitate, seu tanquam patronatus castri, ex eo quod sit electa cum respectu ad patronos, juxta illud 2 Machab., cap. 5, num. 19: « Non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegit Deus. » Ex hoc autem fit, quod dum patroni se transferunt ad alium locum, transferatur cum ipsis Capellania patronatus, quia prior desinit esse locus patronalis, atque adeo non amplius est ille, quem contemplatus est fundator, quia eum contemplatus est tanquam patronalem, et cum respectu ad patronos, et novus incipit esse ille, quem est contemplatus, quia fit patronalis, et fit talium patronorum, quales in fundatione fundator fuit contemplatus. Et id a fortiori procedit, quia cum patroni soleant percipere emolumentum ab hac celebratione Missarum, oritur præsumptio, quod fundator voluerit hoc pacto ipsis providere ex parte non solum eorum commodo, sed etiam præsentis necessitati, qua nunc tenentur ob inopiam Missa-

rum in novo castro. Quilibet enim præsumitur operari eo modo, quo sibi utilis est; l. 1 et n. ff. de Solut. (18. Unde censendum est fundatorem nedum respexisse ad fructum sacrificii, sed etiam ad sublevandam indigentiam hæredum patronorum, cum in hoc potuerit exercere actum pietatis, et ordinare suam dispositionem ad duplicem finem, et ex utroque percipere utilitatem; et propterea videtur ex gratia a Sancta Sede esse indulgendum, ut revera censuit Sac. Congreg. Concil. in Viterbien., 25 Jan. 1663. Hactenus Pignatell. tom. IV, cons. 12, num. 2 et 3.

(19. Capellaniam obtinens non tenetur sacros ordines suscipere, sed Missarum oneri potest per alium satisfacere, nisi in fundatione cautum sit, ut per se ipsum celebret. Sac. Congreg. Concil. in Mediolanen., 6 Julii 1581. (20. Capellania, in cujus erectione fundator sic disposuit: « Instituitur capellanus, qui Missas celebret, » non est sacerdotalis, et conferri potest clerico quatuordecim annorum. Sac. Congreg. Concil. 15 Junii 1589, et sæpe alibi, et signanter in Milevitana, ut testatur Fagnan. in cap. *Ut Abbates*, 1, de Ætat. et qualit. et ordine præficiendorum, num. 70. Et ratio est, quia per illum modum loquendi significare voluit testator potius onus capellano impositum Missas celebrandi, quam factum ipsum celebrationis Missarum; non enim tale onus imponitur ei personaliter adimplendum, sed potest adimplere vel perse, vel per alium. (21. Capellania, in cujus erectione fundator sic disposuit: « Eligatur capellanus, vel sacerdos, » non est sacerdotalis, et potest etiam conferri simplici clerico annorum quatuordecim. Et ratio est, quia in disjunctivis sufficit, quod propositio in una parte verificetur. Glossa in cap. *Ex parte*, verb. *Perpetuo*, de Rescriptis. Rota Romana dec. 7, de Rescriptis in novissimis. Si enim debuisset esse sacerdos, superflue fuisset apposita illa particula *capellanus*, cum satis fuisset dicere, quod eligendus deberet esse sacerdos; nam eo ipso, quod sacerdos fuisset electus, immediate esset capellanus, et juxta hunc sensum processit Rota in Lucana Capellanæ, 17 Decem. 1593, coram Card. Gyptio, quam ad integrum refert Garcias part. 7, de Benefic., cap. 1, n. 79. (22. Capellania hac conditione erecta: « Ut eligi debeat unus præbendarius, qui singulo quoque die teneatur Missam celebrare, et divinis officiis interesse, » non est sacerdotalis, et capellanus potest per alium Missas celebrari facere. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. in Placentina refert Fagnan. *loc. cit.* num. 97. (23. Capellania hac lege fundata « ut capellanus per seipsum Missas celebrare teneatur, » conferri potest simplici clerico, in ea tamen ætate, ut infra annum possit in sacerdotem ordinari, nisi alia essent verba in fundatione posita, quæ requirerent obtinentem tempore collationis esse actu presbyterum. Sic expresse decisum a S. C. C. refert Fagnan. in cap. *Ut Abbates*, num. 52, et in cap. *Conquerente*, 6 de Clericis non residentibus, n. 29. Et ratio est, quia in beneficiis sacerdotalibus sufficit habitus proxima

ad sacerdotium per textum in c. *Si*, 15, 2 de Institutionibus in 6, cum ibi notatis, et Conc. Trident. sess. 24, cap. 12, de Reform. Abb. et Dec. post Innocent. in cap. *Cum in cunctis*, § *Inferiora*, de Electione; Rolan. cons. 42, num. 59, lib. 1, ubi testatur de communi, et in terminis Capellanæ sacerdotalis de recepta opinione testatur Navarr. consil. 7, in fine de Præbend. Marchin. tract. 3, de Sacrific. Missæ, part. 2, cap. 29, n. 10.

(24. Capellania, in cujus erectione habentur similia verba: « Legavit dictæ Ecclesiæ collegiatæ duplas octoginta pro constituenda et erigenda una præbenda sacerdotali in dicta Ecclesia, cum onere, ut præbendarius nominandus, et eligendus ad dictam præbendam, teneatur singula hebdomada celebrare Missas duas in d. Ecclesia, » non requiritur præsentandum esse actu sacerdotem, sed sufficit, quod sit talis ætatis, ut infra annum promoveri possit ad sacerdotium. Sacra Congregatio Concilii 5 Januarii 1604, apud Fagnan. *loc. cit.* num. 52. (25. Capellania, in cujus fundatione habentur consimilia verba: « Quilibet sacerdos, qui pro tempore fuerit, continuam residentiam personalem in dicta Ecclesia facere teneatur, et singulis diebus, quibus facultas et commoditas sibi aderit, in dicta Ecclesia teneatur Missam devotione debita celebrare, » non requirit, quod præsentandus sit actu sacerdos, sed sufficit quod infra annum possit ad sacerdotium promoveri. Sic Sac. Congreg. Concil. 13 Junii 1608, apud Fagnanum *loc. cit.* num. 52. (26. Sic Capellania erecta hac lege: « Usufructuarii teneantur manutenere unum capellanum, seu presbyterum, qui omni die celebret, et celebrare debeat Missam unam in Ecclesia per ipsum testatorem fundata, etc., et post eorum obitum per N. et N. quos eligit in patronos dictæ Ecclesiæ, manuteneri debeant duo capellani, qui omni die residentiam faciant in dicta Ecclesia, et qui celebrent et celebrare debeant Missam in eadem, » est quidem Capellania sacerdotalis, sed satis est, ut ad eam præsentetur clericus in ea ætate constitutus, ut infra annum possit ad sacerdotium promoveri. Eadem Sac. Congreg. Concil. 22 Februar. 1614, apud Fagnan. *loco cit.* n. 53. (27. Capellanæ in cathedrali, quarum Capellani a capitulo electi « teneantur Missas conventuales canere, et divinis interesse, » sunt sacerdotales aptitudine. Sic a Sacra Congregatione Concilii decisum fuisse refert Fagnan. *loco citato* num. 53. (28. Capellania in cathedrali Ecclesia sic fundata: « Ut capellanus debeat celebrare diu, noctuque divinum officium, » non requirit, ut capellanus debeat esse presbyter. Sic decrevisse Sacram Congreg. Concil. in Pistoriensi et Abulensi refert Fagnan. *loco cit.* num. 72. Et ratio est, quia verbum, « celebret divinum officium, » non refertur ad celebrationem Missæ, ut colligitur ex Clementin. 1, § *Ne igitur*, de Celebrat. Missarum, ubi Zabar. num. 2. (29. Capellania, in cujus erectione sic statuitur: « Eligatur sacerdos qui celebret, » non requirit, ut præsentandus sit actu sacerdos, sed sufficit, ut